



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

V. Inde tranquillitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

peccatum Deus permittat, nec permittat, nisi aliquomodo volens, & ipse sese aptat permittentis voluntati, finitque ab aliis fieri, quod prohibere non potest. Hunc cupiditati ac voluntati modum ratio posuit, religio firmavit; ut quod in nobis est, serio cum Deo velimus; quod in nobis non est, quietè à Deo excipiamus, vel expectemus. Sic fuit cantatissimus ille mendicus, qui, ex Tauleri narratione multorumque aliorum deinceps, malum nullum unquam sibi diem obtigisse affirmabat, propterea quòd dies omnes eos voluerat, quomodò evenerant. Tales illi sunt, de quibus Salvianus loquebatur l. i. de Provid. *Humiles sunt? hoc volunt. Pauperes sunt? paupertate delectantur. Itaque quidquid acciderit eis, qui verè religiosi sunt, beati esse dicendi sunt: quia inter quantumvis aspera, nulli sunt latiores, quàm qui hoc sunt quod volunt.*

V.
Inde tranquillitas.

Antè diximus, Hierosolymitanæ civitati honorificentissimam appellationem dari ab Isaia cap. 62. *Voluntas mea in ea.* Mens humana, cui ti-

ulus idem adscribi potuerit, *Voluntas mea
 in ea, verè Ierusalem est, & visio pacis:*
 posuit Deus fines ejus pacem, & confor-
 tavit feras portarum ejus. Conquereba-
 tur Seneca, initio libri ad fratrem Gal-
 lionem de Vita Beata: Vivere omnes
 beatè velle, sed ad pervidendum quid sit,
 quod beatam vitam efficiat, caligare.
 Caligent alii ad iter beatitudinis: at certè
 quisquis Dei volūtatem intuetur & amat,
 in ipsa beatitudine est, quantum mortalis
 vita capere potest. Non tu fortunâ ipsâ
 feliciorē existimes, qui hunc in modum
 animitus loqui possit? *Deum precor, ut
 mihi det emori passionum tyrannide liberum,
 ita ut ipsi sincerè dicere valeam: O Deus,
 unquānne de consiliis tuis questus sum: un-
 quānne ausus aliquid reprehendere à te pro-
 fectorum? Egrotavi, quia voluisti: agrota-
 vèrè & alii: ego quidem lubens ac volens.
 Ad pauperiem devēni te volente: paupertate
 letatus sum. Aliis non imperavi, non eminui:
 mēne idcirco vidisti tristiorē? Nonne leto
 vultu & alacri mente coram te semper incesi,
 jussis omnibus tuis obtemperare paratus?*

Vis modo, ut à confesso & corona discedam: ab eo letus, gratiasque ago, quòd me ad operum tuorum spectaculum admiseris, aliquàmque gubernationis & administrationis tuæ cognitionem dederis. Utinam hæc me cogitantem, scribentem, legentem mors occupet.

VI. *Etiã in subitâ casibus.* Si tibi nondum in mentem venit, aut in memoriam rediit, cujus illa suavissimæ ac generosissimæ voces sint: rogo te, disquire apud te, à quo profectas esse conjicias. An à Francisco forsan Salesio Gebennensi Episcopo, quem nuntius de carissimi parentis morte, in ipso ad suggestum & concionem ascensu, nîl penitus commovit: cui dilectissimi fratris inexpectatus obitus hæc verba solùm expressit, *Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti?* An à D. Carolo Borromæo, quem, inter gravissimos casus, perpetua quies animi, & vultus æqualitas adeò comitata est: ut fidissimi amicorum, ac domesticorum intimi, nullum unquam vel minimi motûs indicium notârint: nisi quod interdum, ubi atrocità